

A P P E N D I X   I

De oratione Ordinationis Episcopi

Oratio Pontificalis Romani e duobus partibus constat. Maior pars, ab initio usque ad verba Sint speciosi et a verbis Tribue ei, usque in finem, est originis Romanae et in Sacramentario dicto Leoniano iam invenitur. Pars autem quae incipit a verbis Sint speciosi est interpolatio Gallicana quae in Sacramentario Gelasiano primum introducta est. Pars Romana unum tantum evolvit thema: Episcopus est summus Sacerdos Novi Testamenti. Sicut Aaron per unctionem olei et vestitionem ornatorum consecratus est, ita Episcopus summus Sacerdos constituitur per unctionem spiritualem et ornamenta virtutum. Quod sane verum est, sed post Concilium Vaticanum II nimis indigens videtur. Nihil dicitur de successione apostolica et fere nihil de munere episcopali, praeter verba: Tribue ei cathedram episcopalem.

Pars autem Gallicana non est nisi cento citationum scripturae Veteris ac Novi Testamenti, quae partim Apostolis applicari possunt, partim vero omni christiano conveniunt. Ex his sententiis, sine ordine dispositis, nulla apparet doctrina cohaerens de Episcopo. Etiam si haec interpolatio servatur, quae nullam relationem internam habet cum parte Romana, oratio non videtur satisfacere doctrinae Concilii Vaticani II. Insuper, de sententia Fratrum separatorum, haec formula videtur insinuare Episcopum successorem esse summi Sacerdotis Veteris Testamenti plus quam Apostolorum Christi.

De corrigenda formula cogitavimus. Sed res aliter se habet ac pro orationibus Presbyteri et Diaconi, quae parvis additionibus aptari potuerunt. Hic autem pars Romana, nimis longa, paucis verbis contrahenda esset et pars nova addenda quae doctrinam Concilii traderet. Sic autem formula exorta esset quae pauca communia haberet cum antiqua et de facto esset textus novus a nobis exaratus.

Nobis visum est, si alia formula invenienda est, melius esse ut eam ex traditione Ecclesiae quaereremus. Atqui in traditione orientali duae formulae inveniuntur inter se valde similes. Una adhibetur in patriarchatu Antiocheno, altera in patriarchatu Alexandrino. Praeter additiones in utraque diversas, res essentiales eadem sunt et ab unico fonte proveniunt, id est a sic dicta Traditione apostolica.

Haec oratio, sub respectu theologico, ditissima est et doctrinam traditionalem exprimit de Episcopo, non tantum summo Sacerdote, sed et pastore gregis et successore Apostolorum, per quos Episcopi "spiritum principalem" a Christo acceperunt.

Sub respectu autem oecumenico, haec formula unitatem cum Ecclesia orientali testaretur, cum in tribus antiquioribus patriarchatibus eadem doctrina de Episcopo in ipso ordinationis actu enuntiaretur.

Unde Summi Pontificis iudicio proposuimus ut haec antiquissima formula etiam in rito Romano adhiberetur.

Ut autem Patres statum quaestionis plenius conspicere possint, una cum textu Hippolyti quem in schemate (pp.42-43) retulimus, ipsis propinquimus etiam textum qui adhuc adhibetur in Patriarchatu Antiocheno et in Patriarchatu Alexandrino. Verba vel saltem sensus a Traditione apostolica provenientes sublineantur. Sic patet fontem praecipuum duarum precum esse orationem Hippolyti et item sententias praecipuas Hippolyti in uno vel altero documento, vel in utroque esse servatas. Ex altera parte apparent additiones a redactoribus orientalibus factas nihil ad claritatem nec ad pulchritudinem orationis contilisse. Insuper textum originalem non semper intellexerunt. Sic, quando agitur de normis Ecclesiae datis "per verbum gratiae", in mente Hippolyti designatur Scriptura antiqui Testamenti. Ecclesia est novus Israel et normae in Scriptura datae iure applicantur in electione Episcopi. Deus numquam reliquit populum suum sine principe nec sanctuarium sine sacerdote. Episcopus est princeps et Sacerdos novi Israel. Quae autem de munere Episcopi in Traditione apostolica tradita sunt fideliter in orationibus servata sunt. Ex una parte, dolendum est precem tam antiquam et pulchram sub formis tantum derivatis et incompletis in liturgia servari, et ex altera parte optandum est, sub respectu oecumenico, ut munus apostolicum Episcoporum eodem modo in Occidente et in Oriente exprimatur in oratione Ordinationis. Sic affirmatur unitas trium antiquiorum patriarchatum, Romae, Antiochiae et Alexandriae. Ecclesia Romana ad Orientem accedit et simul traditionem propriam recuperat, cum oratio Romae redacta sit.

1) Oratio Consecrationis Patriarchae in ritu Maronitarum et Syrorum occidentalium.

Deus qui omnia in virtute fecisti et firmasti ac fundasti conceptu mentis orbem habitabilem, qui ornasti coronam omnium rerum a te factarum, qui dedisti nobis in timore custodire mandata tua, qui tribuisti nobis intellectum veritatis et manifestasti nobis spiritum tuum illum bonum, qui Filium tuum dilectum misisti unicum salvatorem nostrum immaculatum pro redēptione nostra. Deus Pater Domini nostri Iesu Christi, Pater misericordiarum et Deus totius consolationis, qui in puris excelsis habitas, qui es altissimus, laudabilis, terribilis, magnus et omnia videns, qui omnia nosti antequam fiant, apud quem omnia iam erant antequam sint; qui illuminationem dedisti Ecclesiae per gratiam unigeniti tui, praedestinans ab initio illos qui cupiunt iustitiam et faciunt ea quae sancta sunt habitare in mansionibus tuis; qui elegisti Abraham qui placuit tibi in fide, et Henoch sanctum thesauro vitae donasti, qui principes et sacerdotes ordinasti in sanctuario tuo altissimo, Domine; qui vocasti eum ad laudandum et glorificandum in loco gloriae tuae nomen tuum et unigeniti tui; Domine Deus, qui non reliquisti sublime sanctuarium tuum sine ministerio; ante constitutionem mundi, sanctuaria tua exornasti et decorasti principibus et sacerdotibus fidelibus iuxta formam caelorum tuorum. Tibi, Domine, etiam placuit modo laudari in hoc servo tuo et dignum effecisti eum praeesse populo tuo: illumina eum et effunde super eum gratiam et intelligentiam Spiritus tui principalis, quem tradidisti Filio tuo Domino nostro Iesu Christo; da ei, Deus, sapientiam laudabilem, fortitudinem, virtutem, participationem Spiritus ad faciendum omnia per tuam cooperationem. Concede ei, Deus, Spiritum tuum Sanctum, qui datus fuit sanctis tuis, confirma Ecclesiam tuam puram et sanctam et omnem locum tuum sanctum. Largire etiam, Domine, ut servus tuus iste, qui placuit tibi, sit ad enarrationem gloriae et laudem incessabilem, ad glorificationes perfectas et temporis aptas, ad orationes acceptas, postulationes fideles, cogitationes rectas, cor humile, ad actionem vitae et humilitatis ac veritatis, ad scientiam rectitudinis.

Pater qui nosti corda omnium, effunde virtutem tuam super servum tuum  
hunc quem elegisti ad patriarchatum, ut pascat universum gregem tuum  
sanctum et summo sacerdotio fungatur sine querela, die ac nocte tibi  
ministrans, et concede illi ut appareat facies tua, eumque redde dignum  
qui tibi attente et cum omni timore offerat oblationes sanctae Ecclesiae  
tuae. Impertire ei totam potestatem quam dedisti sanctis apostolis tuis,  
ut potestate Spiritus tui solvat omnia ligamina, sicut eisdem Apostolis  
tuis concessisti; et ut placeat tibi in pura humilitate, caritate illum  
imple, scientia, discretione, disciplina, perfectione, magnanimitate cum  
puro corde, dum orat pro populo, dum contristatur pro his qui stulte a  
egunt eosque ad auxilium trahit, dum offert tibi laudes et confessiones  
ac orationes in odorem suavitatis, per Dominum.....

2) Oratio Consecrationis Episcopi in rito Alexandrino.

Qui es; Domine Deus omnipotens, Pater Domini nostri et Dei nostri et  
Salvatoris Iesu Christi, unus solus ingenitus, sine principio, nullum  
regem habens super te, qui es semper et ante saecula, infinitus et solus  
altissimus, solus sapiens, solus bonus, invisibilis in natura tua, prin-  
cipii expers et apud quem est scientia incomprehensibilis et incompara-  
bilis, cognoscens occulta, cognoscens omnia antequam fiant, qui donasti  
statuta ecclesiastica per unigenitum Filium tuum D.N.I.C., qui constitui-  
sti sacerdotes ab initio ut assisterent populo tuo, qui non reliquisti  
locum sanctum sine ministerio, qui complacuisti tibi glorificari in iis  
quos elegisti. Tu iterum nunc effunde virtutem Spiritus tui principalis,  
quem donasti apostolis sanctis tuis in nomine tuo. Da igitur hanc eamdem  
gratiam super servum tuum quem elegisti in episcopum, ut pascat gregem  
tuum sanctum et ut sit tibi in ministrum irreprehensibilem, orans ante  
benignitatem tuam die ac nocte, congregans numerum salvandorum, offerens  
tibi dona in sanctis ecclesiis. Ita, Pater omnipotens, per Christum tuum,  
da ei participationem Spiritus Sancti tui, ut sit ei potestas dimittendi  
peccata secundum mandatum eius ad sanctuarium et solvendi vincula omnia  
ecclesiastica, faciendi domus novas orationis et sanctificandi altaris;  
et placeat tibi in mansuetudine et corde humili, offerens tibi in inno-  
centia et irreprehensibilitate sacrificium incruentum, mysterium huius  
Testamenti novi in odorem suavitatis.

### Appendix II

#### LECTIONES QUAE PROPONUNTUR PRO MISSIS ORDINATIONUM

##### I. IN ORDINATIONE DIACONI

###### Extra tempus paschale

- Num. 3, 5-9      Applica tribum Levi et fac stare in conspectu  
Aaron sacerdotes, ut ministrant ei.  
Rom. 12, 4-8      ...sive ministerium in ministrando.  
Mat. 20, 25-28     Filius hominis non venit ministrari sed ministrare.

###### Tempore paschali

- Act. 6, 1-6      Hos statuerunt ante conspectum Apostolorum, et orantes imposuerunt eis manus.  
1 Petri 4, 7b-11   Si quis ministrat, tamquam ex virtute...  
Ioan. 12, 24-26   Si quis mihi ministrat, me sequatur.

##### II. IN ORDINATIONE PRESBYTERI

###### Series prima

- Num 11, 24b-29    Moyses congregans septuaginta viros de senibus Israel, quos stare fecit circa tabernaculum  
Eph. 4, 1-3,7,11-13 ...in opus ministerii, in aedificationem corporis Christi  
Luc. 10, 1-9       Designavit Dominus et alios septuaginta duos  
vel Lc. 12, 35-44   Quis est fidelis dispensator et prudens, quem constituit Dominus super familiam suam, ut det illis tritici mensuram?

###### Series secunda

- Ier. 1, 4-9       Ad omnia quae mittam te, ibis  
2 Cor. 4,1-2,5-7   Non enim nos met ipsos praedicamus, sed Iesum Christum, nos autem servos vestros per Iesum  
Mat. 5, 13-18      Vos estis sal terrae  
vel Luc. 22, 24-30   Qui maior est in vobis fiat sicut minor

###### Tempore paschali

- Act. 13, 1-5a      Tunc ieiunantes et orantes imponentesque eis manus, dimiserunt illos  
1 Petri 5,1-4       forma facti gregis ex animo.  
Ioan. 20, 19-23      Accipite Spiritum Sanctum: quorum remiseritis peccata remittuntur eis  
vel Ic.15, 15-17     Iam non dicam vos servos, vos autem dixi amicos

### III. IN ORDINATIONE EPISCOPI

#### Extra tempus paschale

- Is. 61, 1-3a Spiritus Domini super me, eo quod unxerit me Dominus, ad annuntiandum mansuetis misit me  
2 Cor. 5, 17-21 Deus dedit nobis ministerium reconciliationis... Pro Christo ergo legatione fungimur  
Mat. 9,35-10,1 Videns autem turbas, misertus est eis...Et convocatis duodecim discipulis suis, dedit illis potestatem spirituum immundorum  
vel Io. 10, 11-16 Ego sum paster bonus

#### Tempore paschali

- Act. 10, 37-43 Et praecepit nobis praedicare populo, et testificari quia ipse est, qui constitutus est a Deo iudex vivorum et mortuorum  
Hebr. 5, 1-6 Christus non semetipsum clarificavit ut pontifex fieret: sed qui locutus est ad eum: Tu es sacerdos  
Ioan. 21, 15-17 Pasce oves meas  
vel Io. 17,6,14-19 Sanctifica eos in veritate. Sicut tu me misisti in mundum, et ego misi eos in mundum

### IV. QUANDO ORDINATIO DIACONORUM ET PRESBYTERORUM IN EADEM ACTIONE LITURGICA CONFERTUR

#### Extra tempus paschale

- Ierem. 1, 4-9 Ad omnia quae mittam te, ibis  
Eph.4,1-3,7,11-13 ...in opus ministerii, in aedificationem corporis Christi  
Mat. 20, 25-28 Filius hominis non venit ministrari sed ministrare

#### Tempore paschali

- Act. 13, 1-5a Tunc ieunantes et orantes imponentesque eis manus dimiserunt illos  
1 Petri 4,7b-11 Si quis loquitur, quasi sermones Dei; si quis ministrat, tamquam ex virtute quam administrat Deus  
Ioan. 12, 24-26 Si quis mihi ministrat, ne sequatur